

D E O D U C E,
MEDITATIO S. EPISTOLÆ
FERIAE IV.
PENTECOSTES,

Additis S. Patrum dictis Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus cum opus est explicationem, & Heterodoxorum refutationem,

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia.

P R A E S I D E,

ÆSCHILLO PETRÆO, S.S.
Theolog. Doctore & Episcopo Aboënsi,

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Octob. Anni 1654.

H E N R I C U S P. H a z e l r o o t A L A N U S.

Lyra in hunc locum.

Non solius Petri: licet pro honore ejus ceteri taceantur: non tamen facta eorum tacentur.

Idem in hunc locum.

Quia Christus non legitur curasse per umbram, sicut Petrus: Imo videatur impletum fuisse, quod dixit, Ioh. 14. Qui credit in me, opera que ego facio & ipse faciet & majora horum faciet.

A B O Æ,

Excusa Typ, Acad. apud Viduam Petri Waldz 1654.

*Reverentia, præclaræ virtute & Orthodoxæ religionis zelo, præstan-
tissimis, Doctissimis atq; humanissimis Viris,*

DN. BOETIO MURENIO, Præposito &
Pastori in Saltwijk accuratissimo, Promotori & Evergetæ,
quovis pietatis ac reverentiæ ardore indesinenter suspiciendo.

DN. ANDREÆ NICOLAI MANSNERO,
Pastori in Kumbinge laudatissimo, promotori & Nutritio suo
singulari obsequij ac honoris titulo summe devenerando.

DN. CAROLO PETRI ALANDRO,
Pastori in Finström vigilantissimo, Fautori ac benefactori, nul-
lo non honoris ac amoris genere jugiter prosequendo.

DN. LAURENTIO JACOBI Liliwaan/
Ecclesiæ Dei quæ in Nagu colligitur, præconi ac Symmistaæ
impigerrimo, itidem benefactori honorando.

Juxta ac
*Eruditione præclaræ, humanitate & pietate, morumq; confor-
mitate Politissimis ac Doctissimis, in florentissima Academia que Åboæ
ad Auram est, Theologie ac Philosophie Studioſis laudatissimis,*

DN. JOHANNI JACOBI Liliwaan/ fau-
tori & Pyladi suo ævitè colendo.

DN. ERICO MICHAELIS BORÆO,
Fratri, Sympatriotæ & convictori suo amando.

*Hoc Sacro Sanctum Theosophicum progymnasma in debitæ
observantia & grati animi pignus reverenter &
perofficiose nuncupat*

Respondens.

M E D I T A T I O S . E P I S T O L A E
F E R I A E IV.
P E N T E C O S T E S .

In Sanctæ & summè Laudandæ Trinitatis, Patris, filii
& Spiritus Sancti nomine.

Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum, & adspicient ad me, quem confixerunt: & plangent cum planetu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti, Zach: 12. v.10. Super domum David & super cives Jerusalem effundam Spiritum gratiæ & precum. In hoc capite duodecimo Propheta varias adversitates pijs sustinendas prædicavit, quod Jerusalem obsidenda sit ab hostibus, ita tamen ut non prævaleant adversus eam hostes, prædicit etiam felicitatem domus David, maximè autem futura hæc felicitas, quod DEus velit effundere Spiritum suum S. super Jerusolymitanos, ideoq; dicit Propheta, Super domum David & super cives Jerusalem effundam Spiritum gratiæ precum. Explicat Deus ipse cui populo hic honor cedat, ut Spiritus sanctus mittatur visibiliter super homines. Hic honor contigit domui David in verâ Ecclesiâ, quæ tunc Jerusolymis erat, licet non omnia ejus membra ita essent, qualia esse deberent. Deinde innuit super quos effunderetur Spiritus visibiliter, dicit enim: super cives Jerusalem effundam Spiritum gratiæ & precum. Apostoli erant qui-

dem Judæi non tamen cives Jerusalem, ut alij cives semper illic habitantes, erant tamen jam quasi cives, quibus manendum hic erat, donec acciperent promissum Patris vñz, Spiritum sanctum visibili modo. Describitur Spiritus S. quod sit Spiritus gratiæ & precum. Vocatur Spiritus gratiæ, quod confert gratiarum actionem promptam ad serviendum Deo purâ mente, & expedientum ea quæ officium nostrum exigit. Est Spiritus precum, docens nos orare animo confidenti & non desperanti, ut plena fiducia Deum oremus, id quod etiam Christus docet, nos debere plena fiducia orare, in verbis: Pater noster qui es in celis. Hujus Spiritus S. gratiæ & precum festum etiam hodiè celebramus, canamus itaq; consueto more in laudem Spiritus Sancti: Veni Sancte Spiritus.

Oremus igitur Deum, ut hodiernum festum ita celebrare Epistolamq; ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & honorum operum, in spem & fiduciam & tandem in æternam beatitudinem. Dicamus igitur, Pater noster &c.

TEXTUS Actor. 5.

Per manus autem Apostolorum edebantur signa, ac prodigia multa in populo. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis, Cæterorum a, nemo audiebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis a, accrescebat credentium Domino multitudo virorū simul ac mulierū ita, ut in plateas exportarent infirmos & ponerent in lectulis ac grabbatis ut venientis Petri vel umbra obumbraret aliquem illorum.

Con-

Conveniebat autem & multitudo vicinarum civitatum Hierosolymam, afferens ægros ac vexatos à Spiritibus immundis, qui sanabant omnes.

R^Efert S. Lucas horribilem historiam de repentina morte duorum hominum, Ananiae & Zaphiræ, mariti & uxoris. Et maritus & uxor occisi à Domino subito propter mendacium prolatum coram Apostolo, cum narrare deberent quanti vendidissent agrum suum & quantum vellent in commune contribuere, ut mos tunc erat, cum omnium, qui cum Jerosolymis erant, bona communia haberentur ad certum aliquod tempus, propter causas sine dubio graviores, quibus cessantibus etiam hæc communio bonorum exspiravit. Mirabilè verò extensus est Ananias primum cum increparetur à Petro propter dolum. Hoc etiam contigit uxori ejus, nam illa adveniens & ignorans quid factum esset, pretium agri occultat, ut maritus non dicens ejus quantitatem. Hæc etiam ad comminationem Petri moritur. Hinc magnus timor invasit omnes in Ecclesia, & omnes eos qui audiverunt hoc. Pergit S. Lucas referre in genere quod multa miracula edita per manus Apostolorum in populo, & quomodo fuerint congregati in porticu Salomonis. Et quod reliqui non ausi sint appropinquare eis, & quod populus magnifecerit eos, & quod eò magis auctus est numerus fidelium virorum & foeminarum. Quod extulerint suos ægros in platea positos in lectulis & feretris, ut Petri umbram haberent prætereuntis; Congregata etiam magna multitudo ex civitatibus proximis, vehentibus secum ægrotos & obsecros, qui omnes sanati. Admoneatur tertij Præcepti, in quo præcipitur etiam honor erga misericordiam.

ga ministros verbi. Confirmatur articulus fidei de Christi potentia & divinitate, nam in ejus nomine ægroti & obfessi à plagis suis liberantur. Excitamus ad orandum: Libera nos à malo.

P A R T E S:

I. De Apostolorum operibus & hospitio sive loco ubi concionabantur & miracula edebant,

II. De illorum autoritate & honore apud populum.

Atq; hæ sunt istæ Partes, quas hâc vice breviter & simpliciter tractare constituiimus: Omnipotens & æternus Deus, Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.

P R I M A P A R S.

In qua meditamur:

I. Quibus adscribantur signa

& miracula. Hoc indicat S. Lucas dicens: per manus Apostolorum siebant signa & miracula in populo multa. Insuper S. Lucas & proximè ante hâc historiam refert, quod duo homines exanimati & mortui, qui Petro imponere studuerunt vñz. Ananias & Zaphira uxor ejus, quando mentiantur se minus accepisse quam acciperunt pro suo vendito agro, nunc eorum factum directum erat in fraudem aliorum Sacrae hujus societatis, bonorumq; communitatis, qui omnia quæ habuerunt facile in commune contulere totum pretium agrorum & aliorum quæ vendiderunt, talem fraudem S. Petrus & reliqui Apostoli ferre & tolerare non poterant; miraculum vero fuit, quod Petrus hoc mox sciverit, quod non

non totum sed modo partem pretij agri expresserint; miraculum etiam hoc erat, quod solum verbo uterq; & maritus & uxor interempti sunt. Dixit S. Petrus Ananiae: Anania quare implevit Sathanas cortuum, ut mentireris Spiritui S. & absconderes aliquid de pretio agri, nonne tibi licuit retinere agrum, vel si vendidisses, nonne licuisset tibi quid velles facere. Quod tu hoc fecisti, non mentitus es solum hominibus, sed & ipsi Deo. Audivit Ananias verba haec cadens exspiravit, & fuit timor magnus super omnes audientes illum sermonem, & factus timor magnus super omnes audientes talia. Et viri juvenes astantes assumpserunt & sepelierunt eum. Post tres horas venit etiam uxor ejus sciens quidem maritum occultasse aliquid de pretio, non tamen sciens quid factum de marito, interrogatur a Petro: an hoc pretio venditus ager, vel quanti venditus, illa dicit tantum venditum & non pluris vel minoris. Petrus itaque dixit ei: Quare convenistis tu & maritus tuus, ut tentaretis Spiritum Dei? Ecce pedes sepelientium maritum tuum ante januam sunt, & te efferent, & statim cecidit coram pedibus ejus, & exspiravit, juvenes illi qui maritum ejus sepelierunt, etiam illam apud maritum suum humarunt. Hoc factum ait S. Lucas per manus Apostolorum; adscribitur hoc miraculum & alia multa signa & miracula, quae edebantur manibus Apostolorum, non quod illi sua virtute haec fecerint & suis manibus, sed divina virtute haec facta sunt, interim Apostolis tanquam per organa Dei, ita explicat S. Petrus rationem editorum ab Apostolis miraculorum. Act: 3. Cum claudum ex utero matris sue sanasset Petrus & Johannes. Petrus dixit claudio isti: Aurum & argentum non habeo, quod vero habeo, do tibi, in nomine Domini IESU Christi Nazareni

areni, surge & ambula, & Petrus porrexit ei manum,
& statim confirmata sunt crura ejus & tibiæ, ambulavit
laudans DEum. Cum autem populus admiraretur
valde hoc factum & Apostolis adscriberent, dixit S. Pe-
trus: Nolite viri Israëlitæ mirari & nos aspicere, quasi
authores hujus miraculi, sed Christus dedit ei sanitatem,
videatur ꝑ. 13. 14. 15. 16. Idem testatur S. Petrus Act: 4.
ꝑ ꝑ. 6. ad 12. Et cum statuissent eos in medio, interro-
gabant: Qua virtute, aut quo nomine fecistis hoc
vos: Tunc Petrus repletus Spiritu Sancto, dixit ad e-
os: Principes populi & seniores Israël, si nos hodie
examinantur de eo, quod bene fecerimus homini infir-
mo, qua ratione iste salvus factus sit: notum sit omni-
bus vobis, & toti plebi Israël, quod per nomen IESU
Christi Nazareni: quem vos crucifixistis, quem
Deus suscitavit a mortuis, per hunc iste adstat coram
omnibus vobis sanus. Hic est lapis ille, qui rejectus
est a vobis edificantibus, qui factus est caput anguli:
Nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud no-
men est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat
nos salvos fieri.

L. C. Quod attinet historiam miraculi in-
terempti verbo Ananiæ & Zaphiræ propter suum
mendacium, hinc discimus quād ingratum sit
Deo mendacium in rebus serijs, & cum exigitur
confessio in Christi gloriam sicuti hic exigebatur
confessio veritatis ab Anania & Zaphira, sed uterq;
confensit in hoc falsum testimonium ferendum &
tentan-

tentandum Spiritum DEI, quare etiam repente
ceciderunt exticti. Cavendum itaq; mendaci-
cium cum urgetur & inquiritur veritas, utinam
itaq; observare quæamus Syracidis regulam,
Cap. 4.v.28.29.30.31.32, Oremus cum Salomo-
ne, Prov. 30. v. 7. 8. 9. Exod. 23. Jubemur fu-
gere mendacium, Psal. 5. Perdes omnes qui lo-
quuntur mendacium, Prov. 19. v. 5. 9. Orandus
Deus ut regat nos suo sancto Spiritu, ut conse-
quamur & servemus amorem veritatis, deteste-
mur & vitemus mendacium, Sacer Mosis, Je-
tro, cum judices inquirendi sunt & constituend-
i, ut adhibeantur ad hoc officium veritatis a-
mantes Exod. 18. Moses docet nos veritatem mini-
mè quærarendam esse à mortuis, Deut. 13. Orandum
ut veritas apud nos locum habeat, Psal. 85. v. 9.
10. 11. 12. 13. 14.

L. C, 2. Patet ex hac eadem historia & oratio-
ne S. Petri, quod Spiritus S. sit verus Deus, nam
Petrus accusat Ananiam quòd mentitus sit coram
Spiritu S. & mox dicit Ananiam, mentitum
Deo, non mentitus es, inquit, hominibus sed Deo;
ideo palam est, Petrum tribuere Spiritui S. no-
men Dei. Ergò Spiritus S. non est creatum quid
sed increatum & æternum. Hic Spiritus est qui
à Mose dicitur incubuisse aquis. Genes. 1, Non

erat ventus aliquis, quia ventus adhuc non erat creatus, ut Lutherus recte interpretatur hujus Spiritus naturam. Recte itaq; credimus in spiritum S. recte illum invocamus ut etiam facimus, præsertim hoc festo Pentecostes: Veni Sancte Spiritus, & alias canitur ad suggestum tertius Psalmus, ubi dirigitur oratio nostra ad Spiritum S.

L. C. 3. Consensus mariti & uxoris in dolo & fraude idem mortis repentinæ videlicet genus attulit. Videamus ne assensum nostrum præbeamus in malis, sed quicunq; velit, qui nos secuū facere cupit in mendacio propagando, non acquiescamus ei, ut Syrach. cap. 15. v. 26. 27. docet. Sine dubio Ananias & Saphira multo-
ties homines deceperunt suo mendacio quod etiam vi-
detur S. Petrus innuere dicens: non mentitus es jam
hominibus sicuti saepe ante, sed jam D. O. es mentitus.
Et ideo quod saepè sint mentiti Ananias & Saphira, ideo
jam propter cumulatam in se iram Divinam, subditò
extinguntur; non itaq; differenda est pœnitentia, non
peccata peccatis a cumulanda sed pœnitentia agenda.
Ita nos monet Syrah. cap. 5. v. 2. ad v. 15.

L. C. 4. Quod ad gloriam DEI, pios usus,
Ecclesiæ commodum donatum est, ne cupiamus illud
ab alienare vel diminuere. Fecit hoc ananias & Saphi-
ra & neutr' bene cessit: sit procul à nobis injusta haben-
di cupido, non pœnitentia sed det ad gloriam DEI, DEUS
dives est retributor. Liberum est dare, vovere ante-
quam dones vel voveas, at vero postquam aperuisti os
tuum, non licet retractare & revocare sententiam, multò
minus ab alienanda bona, quæ alii sine nostris sumptu-
bus contulerunt & donarunt, quod qui faciunt, in Chri-
sti tunicam sortem mittere dicuntur à Sanctis patribus,
& mutare antiquos terminos, quod prohibetur, Deut.
9. v. 14. Deut. 27. v. 17.

II. Signorum tam variorum

& multorum causam per Apostolos editorum.
Hæc indicatur Marci 16. ubi refert S. Marcus Apostolos post assensionem Christi, ut jussi erant, exiisse & concionatos ubique, & Dominum cooperatum eis & confirmasse verbum quod prædicabunt de Christo, potissimum quod is esset verus Messias, & quod solum in ejus nomine esset salus & vita æterna. Hanc itaq; doctrinam ut homines reciperent ac amplecterentur ac crederent, DEUS etiam talia miracula voluit fieri per Apostolorum manus, jam vero cum doctrina est confirmata & radices egit etiam in animis hominum, & adhuc concionandum de miraculis tunc factis, ad hujus doctrinæ confirmationem animi roborati sunt, quid opus est miraculis, imo quid opus fingere miracula & populo insano illa dare falsis miraculis, ut mos est in papatu.

L. C. Non expectanda miracula neq; desideranda sunt nostro tempore, adhæreamus verbo Dei miraculis maximis confirmato. Reprehenditur à Christo Regius ille, Joh: 4. quod noluerit credere, nisi vidisset signa & prodigia, & alios quoq; ob idem arguit. Et Thoma dicit: Beati qui credunt licet non videant externa signa. Fides, inquit Apostolus, est ex auditu, non vero ex miraculorum contemplatione, manserunt multi increduli inter Judæos, quamvis miracula magna & multa vidissent. Erat beatitudo aliqua videre Christum & ejus miracula, audire ipsum concionantem, verum non in hoc solum salus erat; Beati, inquit Christus, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Luc. ii.

S E C U N D A P A R S.

In Prima Parte habuimus historiam aliquam miraculosam operâ Apostolorum factam. In hac altera, hominum cogitationes & reverentiam erga eosdem.

In quâ meditamur:

I. Metum appropinquandi Apostolis in populo, propter miracula quæ videbant ab illis fieri, & præserium quod vidissent Ananiam & Saphiram extintos nondum scientes, ejus rei causam dicerunt etiam ex V. T. malè cessisse illis, qui nimis audacter appropinquassent rebus Sacris ad tabernaculum pertinentibus, præsertim verò arcæ fœderis, 2. Sam. 6. v. 1. seq. ad 9.

L. C. Quamvis in N. T. non prohibitum sit Sacris rebus appropinquare, videre & tangere non teatas, tamen in genere hoc sciendum reverenter cum his agendum, cum sancto sanctus erit, ut dicit David Pial: 18 v. 21. ad 30. Reverenter ideo auditores cum suis doctribus agant, ne sint audaculi, ne illos ad iram concident vel illudant, sicuti pueri isti Elisæum subsannarunt propter calvitiem, & ab ursis dilaniati quadraginta pueri.

II. Dilectionem erga Apostolos in populo. Populus, inquit S. Lucas, dilexit eos. Quia verbum Dei dilexerunt, cujus erant Apostoli præcones, utiq; etiam ipsos amaverunt. Qui Christi-

Christi servos diligunt; utiq; ejus sermonem amant &
Christum amant, & a Christo redamantur.

L. C. Admonitio est Apostolica, ut auditores
diligant suos Doctores, communicent cum eis omnia
bona Ebr. 4. 1. Cor. 9. 1. Tim. 5. ita etiam hic auditores
Apostolorum diligunt & magnificiunt eos. Qui vero
contemnunt ipsos, male excipiunt, recedunt, videant
poenam suam destinatam. Luc. 14. & Matth. 22. Syrach.
hortatur nos ad honorandos Sacerdotes Domini. Syrac.
cap. 7. v. 29 usque ad finem Capitis.

III. Aegrotorum & obfesso- rum ad Apollolos adductorum multitudinem & mirabilem curationem. Aegroti, inquit S. Lucas, de- ferebantur in plateas ex domibus positi in lectulis & fe- retris & sanabantur umbrâ prætereuntis Petri. Tale quid de Christo non legitur. Mulier quidem laborans profluvio sanguinis sanatur tactu fimbriæ vestimenti Christi, at Petri etiam umbra sine contactu aegroti sana- tum, & ita impletum quod Christus prædixit, quod di- scipuli Christi essent facili majora miracula, quam Christus ipse, id quod non cessit in Christi ignominiam sed gloriam, noluit enim Christus propter quasdam causas talia facere sed reservare manibus Apostolorum ut in majori essent apud populum aestimatione.

L. C. Omnibus mundi temporibus & omni-
bus in civitatibus, magna est hominum aegrotantium &
male habentium copia & multitudo. Sunt autem haec
omnia nobis signa & indicia, quod simus peccatores &
quantopere Deus irascitur peccatis. Mors intravit per

peccatum, mortis prodromi sunt morbi. Non itaq;
miremur nos affligi morbis & quidem variis, & tente-
mur interim varijs modis peccavimus & tardi fuimus
ad veram poenitentiam; non desperemus autem in mor-
bis propter peccata nostra, dicamus: Domine Jesu si
vis potes me sanare, licet autem ita confessim non sem-
per sanamur, tamē sanitas à Deo est, & ab illo petenda,
quod fit cum dicimus: panem quotidianum da nobis
hodie; curemus verò ante omnia redire in gratiam cum
DEO, & sanamur ita ratione animæ & sanitas corporis
subsequitur, sit ea nobis utilis. Semper enim oran-
dum fiat voluntas Domini, quæ conjuncta est cum no-
stro commodo.

Clementissime Deus pater cœlestis, qui per an-
gelos magna & multa miracula edidisti, ad per-
suadendum hominibus veritatem Evangelij filij tui,
quod per eum habemus eternam salutem & in nullo
altro. Da nobis gratiam, ut verbis tuis etiam sine
miraculis credere valeamus & salvari, per Domi-
num nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit &
regnat cum Spiritu Sancto, DEUS in secula benedi-
ctus. Amen.

Benedictio & gloria, & sapientia & gratia-
rum actio & honor & potestas, & vires DEO
nostro in secula seculorum: Amen Apoc. 7,
V. 12.

QUÆ-

QUÆSTIONES:

I.

Quæ fuit hæc porticus Salomonis ? Resp.

Fuit autem hæc porticus pars templi Hierosolymitani elegans & spatioſa, ædificata ad illius similitudinem, quam olim Salomon fecerat: unde porticus Salomonis dicta est: Cum tamen Salomonis templum in captivitate Babylonica prorsus fuerit deſtruētum & vaſtatum. Convenerunt autem in illa portico Christiani, ut ibi Apostolos docentes auidarent & unanimiter DEUM in vocarent & celebrent.

II.

An qui hic curabantur, aliquam ſpem sanitatis in umbra Petri posuerint ? Resp. Non.

Rid-